PROLEGOMENA
IOAN. SPONDANI IN
HOMERVM.

INSTITVENTI mihi, pro veteri & constanti doctorum omnium authoritate recepta consuetudine, nonnulla in Homerica Poëmata præfari, nequis nos illotis, vt aiunt, manibus rem tam sacram attingere criminaretur, obiectum iri à multis præsentio, me inanem & superuacaneum laborem moliri qui post tam diligentem & sedulam tot eruditissimorum hominum messem, aliquam mihi spicilegij faciendi copiam restare putem: porrò frustra me in re iam peracta denuò agenda desudare. Quibus ego, si modò minus morosam aurem mihi accommodauerint, duabus rationibus satisfactum volo. Primùm quòd sicut in Olympijs certaminibus non vni tantùm aut alteri in eodem currendi stadio facultas concedebatur, ita in hoc literario curriculo omnibus liberè & æqualiter vnum eundemque carcerem esse referandum, nemo homo est, nisi aut quem inuidiæ flamma detorruerit, aut quem Bœotico natum aëre suspiceris, qui hactenus negauerit. Secundò quòd mihi ab illa diuturna consuetudine (quam legis vim obtinere intelligunt qui iureconsultorũ volumina vel ab ipso limine salutarunt) temerè non fuit recedendum. Vtvt se res habeat, non dubito quin hæc nostra quantulacunque commentatio in studiosorum commodum redundatura sit. Cæterùm leuibus & maleuolis quibusdam ingenijs Pythagoræum illud vel Orphicum occino, φεύγετε οἱ βέβηλοι, θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι. Tu quisquis placidiore ac clementiore natus es fidere, faueto lingua: Imò illud Platonicum παρόδιοι στῆτε limini Homerico, κακόξυλον δὲ δόμον τόνδε, inscribamus.

In hac ergo præfatione tria potissimùm mihi facienda propono. Primùm de Poëtica in genere disputabimus. Secundò de Homero, hoc est, de Homeri vita & scriptis agemus. Tertiò instituti nostri in hac editione causas & rationem exponemus.

DE POETICA.

Acturus initio de Poëtica, duo præstanda mihi esse satis intelligo. Vnum quidem, Aristotelica methodo, in conuellendis & infirmandis argumentis quibus tam solidam scientiam nonnulli expugnare conantur. Alterum in eius origine & dignitate explicanda. Quorũ prius longè mihi facilius posteriore esse exploratissimum habeo, illamq; luculentiùs prouinciam quàm istam suscepero. Sed quia sine magna Poëtices iniuria alterum caput ab altero diuelli nõ potest, tantam iniuriam tam periculosa diuulsione illi ne infligam, facta vtriusq; quodammodo societate, efficiam. Cui oneri licet me imparem omni ex parte facile confitear, tamen & æquitate causæ, vt scientiæ præstantia nescio quomodo tacitum mihi robur & occultas vires suffici sentio, vt victoriam ex illo certamine, & applausum ex hac laudatione apud æquos rerũ æstimatores planè mihi polliceri, siue verè, siue arroganter audeam. Enimuerò mea multũ interest hac ratione consumptam in hoc opus Homericum operam cuiuis probare, dum intelligat me oleum & operam non perdidisse, qui rem tanti momenti tantæq; dignitatis hactenus tractauerim. Atq; vt tam confidentes gladiatores, omni tamen exuta iracundia, & illum potius Aiacis in Hectorem prodeuntis vultum præferentes, in arenam, licet multorum anteà calcatam vestigijs descendamus, cũ istis Poëtices aduersarijs congrediamur, quibus illam ictibus petunt? Sed primùm videamus quo animo concitati tantopere in Poëticam inuehantur, mox eorum petitiones longè minore negotio excedemus. Illum ego sanè animum pro aduersariorum diuersitate diuersum quoq; statuo. Quidam enim præ mera ignorantia, quidam præ maleuolentia tam infensos & implacabiles illius hostes se gerunt. Res ita omnino se habet. Pleriq; curriculum istud literarium ita ingrediuntur, vt illud leui cursu quodammodo delibare possint, & vix ipsis carceribus egressi, aut longitudine stadij perterriti, aut ignauiæ suæ sibi optimè conscij pedem celeriter referentes, aut si paulò vlteriùs progrediuntur tam inconsulto & præcipiti deuoluuntur impetu, vt aut in medio defatigata sistant vestigia aut in ipso etiam metę flexu disruptis rotis turpiter & miserè concidant. Hinc illi pro palma dedecus nacti studium istud quidẽ planè non abijciunt, sed cùm id quod voluisse eos cõstat iam quoq; non potuisse constet, id solùm quod potuerunt, volunt & amplectuntur, reliquum non solùm aspernantur, sed aspernantur, sed asperrimè etiam infectantur. Hi sunt quos maleuolentia ductos Poëtices hostes proponebam. Quos verò ignorantia, illi partim in eorum albo sunt referendi, partim generalius pro ijs qui vniuersum literarũ studium vellicant, accipiendi. Hos ego quidẽ in præsentia refellere non institui, quia sine dubio eos quiuis cordatus planè excordes facillimè iudicabit, qui vitæ, qui Rerumpublicarum, qui totius deniq; orbis columina rescindere moliuntur. Porrò excors ipse meritò censendus si cum huiusmodi Laruis, in quibus nihil solidum, nihil stabile, firmum nihil reperias, luctari velim. Ad eos potiùs nos cõuertamus, qui, cũ eruditionis, & doctrinæ gloriã ex literis aucupentur, plausibile videntur de Poëtica ferre iudicium, qui illã studiorũ cancellis eliminãt, explodunt, exibilant. Vulgatũ est enim, Cuiuis perito artifici in sua arte credi: proinde personati isti literatores gratiã & authoritatẽ quandã promereri possunt cùm hanc literaturæ partẽ incusant & eijciunt, quasi id minimè facturi videantur, si dignã quæ excoleretur, ac in eo retineretur ordine, existimarent. Et hac quidẽ iudicandi temeritate fidẽ apud imperitos non leuẽ consequũtur. Nos detectis illorũ fraudibus hãc fidẽ illis adimamus, euellamus, eripiamus. Agite ergo, viri optimi, quib. machinis hanc artẽ oppugnatis, quibus arietibus quatitis, quibus testudinibus subruitis? Eia in hac arena, vos in oppugnanda, nos in propugnanda Poëtica alacriter digladiemur. Nõnulli vestrũm, cũ quibus in præsentia tantũ manus varijs ijsq; grauissimis de causis, cõserã, Poëticę nostrę eo nomine insultãt, quòd minus vtilia ad rerũ administrationẽ tractet, hoc est, quòd ex istis Poëtarũ delirijs (ita enim appellare non veremini) nihil emoluměti in Rempublicam redundet, nulli fructus quos illa possit excerpere, proseminentur. Ecquid enim, dicitis, indigent huiusmodi adminiculo negotia publica? Nunquis peritè aut prudenter illa non moderabitur, nisi qui in hoc Poëtico puluere diu sese volutauerit? Quorsum pertinent illæ fabularum coaceruationes, quæ aniles potiùs nugæ quàm eruditorum scripta dici possunt? Apage ergo